DEFENSIO BREVIS HISTORIÆ JANSENISMI

CONSCRIPTA

Per L. C. De Decker S. T. L.
Ecclesiæ Metrop. Mechlinien-ſis Canonicum

ADVERSUS

Apologias (maximè ſecundam) Panegyreos Janſenianæ.

Quaſi peccatum ariolandi eſt, repugnare: & quaſi ſcelus idololatriæ, nolle acquieſcere. 1. Regum 15.



Proſtant
LOVANII,
Apud ÆGIDIUM DENIQUE 1700.

Cum Approbationibus.



PRÆFATIO.



Anegyris Janseniana *ubi lucem aspexit, Apostolico Decreto prohibita fuit, & mox quoque graviter displicuit iis quorum partes Doctor Hennebel in Urbe agebat. Sed Author nihilominus proposito suo firmiter inhærens; atque illud Sancti Job,* Justificationem, quam cœpi tenere, non deseram, *pro lemmate assumens,* Panegyreos *Apologiam paulo ante* Brevis Historiæ Jansenismi *divulgationem, Theologis antedictis inscripsit, in qua* Augustinum Jansenii *tam altè extollit, ut pag. 23. affirmare audeat, istud* volumen tum dignitate materiæ, tum excellentiâ sapientiæ, tum pietatis afflatu, libris omnibus quos Ecclesia Dei

post Canonicas Scripturas protulit, aut non cedere, aut palmam etiam cum laude auferre. *Hac verò non minus temerariâ quàm firmâ persuasione imbutus, in præfatis Scriptis audacter impugnat, & in altera Apologia adversus Authorem* Brevis Historiæ *post octo vel novem mensium præmeditationem nuper edita, impugnare pergit ipsa Decreta quibus Summi Pontifices istum librum aut propositiones ejus confixerunt, nempe Decreta Urbani VIII. Innocentii X. & Alexandri VII. nec non Clementis IX. & Innocentii XII. Brevia, quasi malo cui remedium allatura dicebantur, forent imparia, tam circa quæstionem juris quàm facti. Unde etiam rejicit illud quod per præfatum Innocentium XII. de sensu obvio declaratum est: ac tandem duo ponit tanquam ad pacem Ecclesiæ necessaria, videlicet accuratam 5. propositionum in varios sensus distin-*

distinctionem, & juridicam libri Janseniani discussionem. Atque interea in Prologo Gal. pag. 48. instar novi cujusdam Goliathi, sed spiritualis, adeoque non visibilis neque tangibilis, sic ait. " Provoco ego minimus Defensorum ,, Jansenii Societatem quanta ,, est universam, atque omnes quotquot sunt uspiam Molinianos, ,, ut ostendant Augustinum Iprensem, non jam dico in famosis propositionibus, sed in una sola ab ,, Hipponensi Augustino vel termi- ,, nis vel significatione disjungi. ,, Si id ostensum dederint, pro cæteris quatuor articulis tanquam ,, eâdem victoriâ prostratis adoream illis porrigam, & manus ,, dabo." Hactenus ille citato loco. In secunda autem Apologia Authori Brevis Historiæ *neglectum istius provocationis vehementer improperat. Sed ei super hoc capite (præter alias rationes magis pertinentes & efficaces §. 1. alle-*

gandas) hìc per antecessum ita respondemus. Primò verba Panegyreos superiùs expressa non alios quam Jesuitas & Molinianos ad concertationem istam vocant, in quorum certè numero haberi non potest Author Brevis Historiæ. *Secundò, quis est ille* ego minimus defensorum Jansenii, *qui Decretorum Apostolicorum defensores sic provocat? Se ipsum priùs mundo aut saltem Approbatori legitimo manifestet, ne aliàs lateberis suis fretus, sibique nihil metuens, liberè nimis eloqui pergat quodcumque voluerit. Cæterùm quod ad me attinet, manifestationem istam non admodum curo: non enim latebras ejus timeo, neque si palam appareret, liberiùs ipsum impugnarem, aut aliter spectarem quam præcisè tanquam Jansenianæ Panegyreos & Apologiarum ejus Authorem: nam me non delectat uti* dicteriis, trasonismis, & scholaribus declamationibus, *à quibus ab-*

stinen-

stinendum esse monuit Panegyrista Jansenianus, sive Panegyreos Jansenianæ Author & Apologista anonimus, in fine primæ Apologiæ; & à quibus tamen in secunda Apologia minimè abstinuit. His igitur omissis, evidenter ostendere aggredior, quod totum argumentorum Apologistæ robur in solâ ejusdem mirâ confidentiâ verborumque pompâ consistat. Verumtamen penès æquum Lectorem esto judicium.

APPROBATIO.

CUm *Defensionis* hujus Eruditissimus ac modestissimus Author solidè pergat Antagonistæ sui ratiocinia displodere, nec non reverentiam & venerationem Decretorum Apostolicorum genuinis Ecclesiæ filiis strenuè & utiliter inculcare, eandem *Defensionem* luce publica dignam censeo. Datum Mechliniæ 16. Novemb. 1760.

J. DE CUYPER
Decanus Metropoliticus.

ALIA

ALIA APPROBATIO.

DEfensio Brevis Historiæ Jansenismi *conscripta per L. C. de Decker S.T.L. Ecclesiæ Metrop. Mechliniensis Canonicum &c. tàm mihi solida apparet quam ejus impugnatio nuperrima apparebat infirma. Nec mirum: cum impugnatio à Panegyreos Jansenianæ Auctore edita nitatur fundamento prorsus imbecilli ac arenoso, proprio videlicet ac singulari impugnatoris judicio: Defensio verò nitatur fundamento planè firmo & immobili, judicio nempe Sanctæ Sedis, & communi Ecclesiarum consensu. Quapropter eam publica luce dignissimam censeo. Dabam Mechliniæ 16. Novembris 1700.*

F. THOMAS DU JARDIN
Ord. Præd. S. T. Doctor in
Alma Universitate Lovaniensi.

DE-

DEFENSIO BREVIS HISTORIÆ JANSENISMI.

---

§. 1.

Respondetur ad objectionem de non animadverso primario Panegyreos Jansenianæ scopo, ac præsertim de spreta ejusdem solemni provocatione. Deinde ostenditur, quam multa momentosa in libello Historiæ *contenta dissimulârit Apologista.*



Ostquam Apologista in principio secundæ Apologiæ *Brevem Historiam* gravibus approbationibus instructam despexit, ac postquam ipsum titulum, *Jansenismi Historia Brevis*, quo nihil simplicius, *ambitiosum* esse pronuntiavit, mox Authoris consilium ita perturbatum esse affirmat, ut ne quidem (si credere fas est) quis Panegyristæ primarius scopus sit... historiolæ compilator adverterit.

Quapropter ibidem monet, *propositum suum eò potissimum collineare, ut omnes concertatores suos provocet ad demonstrandam Jansenii noxam, seu viri illius magni dissonantiam ab Augustino; aut si hoc demonstratum dare non possint, ut ergo viam aperiant qua Formularii exactores subscriptoresque à teterrimis facinoribus quæ Apologia exhibet, reddantur immunes.* Ita ille.

Cui respondetur, Goliathismum istum, seu solemnem hujusmodi provocationem à nobis sicut à cæteris lectoribus observatam proculdubio fuisse, sed merito potiorique jure à nobis quàm ab aliis fuisse spretam: ut enim hìc prætermittamus denuo observare quod iste provocator invisibilis esset, quodque solos Molinianos ad certamen istud invitaret; hoc notari volumus, quod rationes illæ ob quas tale certamen necessarium esse contendebat, non aliæ fuerint quàm quod sit moraliter impossibile librum Jansenii taliter approbatum continere quinas hæreses: quod oppugnatus fuerit per potestates & calumnias: quod defensores ejus non fuerint legitimè auditi: quod causæ Jansenianæ dirigendæ præfectus fuerit vir partium studio

studio perunctus, qui & Consultores Molinæ faventes delegerat: quod quinque propositiones distingui debuissent in varios sensus, & quod examinatæ fuerint sine respectu ad Authorem: quod consequenter Bullæ contra Jansenium datæ, sint subreptitiæ: & quod Alexandrinæ Formulæ subscriptio contineat perjurium & calumniam. Hæc autem omnia in historia & in responsionibus ad objectiones abunde confutata sunt; sicuti jam confutabuntur illa omnia quæ ab Apologista sunt reposita.

Itaque nihil occurrebat quod antedictam provocationem accipiendam esse suaderet: sed econtra multa dissuadebant: nempe 1. Quod Panegyrista Sanctionum Apostolicarum effectum usque ad concertationis finem suspendere, quantum poterit, intendat. 2. Quod talis concertatio non facile finem accipiet, etiamsi agendum esset de unico ex 5. famosis articulis. 3. Quod Panegyristæ sponsio his verbis expressa: *Si id* (nempe Jansenium ab Augustino dissonare in uno articulo) *ostensum dederint, pro cæteris quatuor articulis tanquam eâdem victoriâ prostratis, adoream illis porrigam, & manus dabo:* quod,

inquam, hæc ſponſio ab æquitate diſſideat: cum enim famoſi articuli non ita ſe habeant, ut quocumque illorum dato, dentur conſequenter quatuor reliqui, ſequitur Panegyriſtam ſponſionem hujuſmodi facere non poſſe, ſicuti non poteſt de veritate tranſigere: ac proinde non poterit uno articulo probato, Formularii ſubſcriptionem admittere, in qua, juxta ipſum, quinque articulorum quinque calumniæ & totidem perjuria ſaltem implicitè continentur. 4. Quod hoc dato, facilè equidem & eodem jure adveniet provocator alius, qui contendet illud quod de uno articulo oſtenſum erit, non poſſe de cæteris quatuor, imo nec de unico illorum quatuor oſtendi, & tamen oſtendi debere antequam formulæ ſubſcriptio exigatur. 5. Quod Panegyriſta geſtiat tale certamen tranſferre ad materiam de auxiliis, ſuper qua vetuere Pontifices quidquam edi ſine licentia S. Congregationis. 6. Quod 5. propoſitiones diſtingui velit in varios ſenſus, & illas (ſicut & formularium, uti patet ex 2. parte provocationis ſupra relatæ) explicari velit aliter quam juxta ſenſum obvium quem ipſorum verba per ſe exhibent, cum

tamen

tamen Innocentius XII. in primo suo Brevi ad Episcopos Belgii & in Decreto adjuncto utrumque jam dictorum expresse vetet. 7. Quod planè supervacaneum sit cum Panegyrista certare super eo quod ipsi conceditur. Et certè quidnam per certamen oblatum intendit nisi demonstrare quod liber Jansenii cum libris Augustini sic consonet ut quinque famosæ propositiones non magis in illo quam in his contineantur? Deinde nunquid ipse famosas 5. Propositiones, quas hæreticas esse admittit, quasque non magis in Jansenio quam in Augustino reperiri contendit, intelligit in sensu Lutherano & Calvinistico per Santamoreum & Socios ejus in *brevissima 5. Propositionum in varios sensus distinctione* allegato, aut saltem in sensu Lutherano & Calvinistico per ipsum Panegyristam pag 67. Prologi galeati assignato, & *Brevis Historiæ* pag. 61. relato? Porro tantum abest quod nos famosas 5. Propositiones sic intellectas, apud Jansenium magis quam apud Augustinum inveniri contendamus, ut oppositum satis apertè in *Historia*, nec non in responsionibus ad objectiones, præsertim ad tertiam inter sex reliquas, pag.

112,& 113.concesserimus. Neque mirum est quod Apologista hæc sibi in libello præfato concedi non adverterit, vel dissimulârit, cum circa alia plurima ibidem contenta se pariter habuerit, veluti patebit ex sequentibus.

Siquidem Apol. 2. pag. 5. dicit me libellum conflasse ex decem articulis quos veluti totidem suas objectiones convellendas mihi sumpserim ac diruendas: quibus verbis omnino significare videtur quod libellus solis istis decem articulis & responsis ad eosdem constet: cum tamen responsio ad quatuor primos articulos inserta principio historiæ, contineatur intra primos quinque numeros: sex verò reliqui articuli post finem historiæ examinentur. Ex quo fit quod Apologista respondendo solum ad ea, quæ circa decem illos articulos allata sunt, veluti loco citato se responsurum profitetur, longè maximam historiæ partem relinquat intactam, scilicet à n. VI. inclusivè usque ad XXXIV. id est usque ad ejusdem historiæ finem: atque ita minimè obsecutus est suorum amicorum voto, qui, ipsomet ibidem referente, desiderârunt ut *sigillatim* ad libellum responderet.

Et

Et quid mirum quod circa ista obmutescat, cum etiam obmutescere debuerit circa illa circa quæ se locuturum esse promiserat, nempe circa responsa nostra ad 5. 6. & 7. articulos, sive ad tres primos articulos ex sex reliquis post finem historiæ examinatis: nisi forsan ipsum circa hæc tria non tacuisse censeamus ex eo quod pro his tribus Lectorem ad Diarium Santamorei remittat, nullo designato istius Diarii capite, folio, aut parte: & nisi forsan similiter existimemus ipsum circa septem reliquos articulos non tacuisse censendum, si etiam pro his septem pariter ad Diarium Santamorei Lectorem remisisset. Dum verò nihil ad ea reposuit quæ circa tres articulos antedictos allata sunt, siluit consequenter ad confutationem eorum quæ ad probandam subreptionem Innocentianæ damnationis 5. propositionum in Panegyri allegaverat: nec non pariter eorum per quæ ibidem contendebat non fuisse authoritate Apostolica examinatum an 5. propositiones in libro Jansenii reperirentur, necne.

Deinde dum ad illa quæ in historia referuntur à n. VI. usque ad finem ejusdem historiæ, silentium tenuit, tenuit con-

consequenter ad illa omnia quæ 5. propositionum historiæ propria sunt.

Tenuit insuper silentium ad alia quædam maximè momentosa, & sibi specialiter objecta, de quibus sequenti paragrapho agendum est.

§. 2.

Ex silentio & ex responso Apologistæ ostenditur, Jansenismum non esse spectrum seu phantasma.

IN principaliori historiæ parte, quæ ab Apologia non attingitur, ex Santamoreo inter cætera narratum est, qualiter ille doctor ejusque socii sæpius exposuerint S. Sedi, quod 5. propositiones essent ambiguæ & æquivocæ, ideoque omnino necesse foret varios earum sensus distinguere, quemadmodum ipsi sensus illos in supradicta *Brevissima 5. propositionum* &c. sive in famoso 3. columnarum Scripto, distinxerunt; scilicet in prima columna ponendo prætensos earum sensus hæreticos, seu Lutheranos & Calvinisticos, prout in *Historia Brevi* exhibentur n. XIX.

Narratur præterea n. XIV. quomodo Deputatis istis econtra significatum fuerit

fuerit quod S. Sedes 5. propositiones secundum se ipsas sive secundum terminos quibus constant, qualificare intenderet. Et n. XXI. ex ipsa constitutione Innocentii manifestum esse dicitur, quod 5. propositiones non sint damnatæ in sensibus hæreticis assignatis in præfato trium columnarum Scripto; sed damnatæ sint juxta suum tenorem, licet unà in sensu Jansenii seu libri ejus.

Item narratur n. XXII. quomodo profiteatur Santamoreus se suosque socios constitutione edita, simpliciter acquievisse propositionum absolutæ condemnationi, & quomodo fateatur propositiones in suo naturali, litterali & rigoroso verborum sensu esse damnatas: necnon quomodo Paulus Irenæus, apud eundem Santamoreum in collectaneis, hæc verba scripserit anno 1657." Omnes ad unum Catholici istas propositiones proscribunt, *& quidem in proprio verborum sensu.*

Insuper narratur ibidem quomodo his non obstantibus videatur quod aliqui etiam post Constitutionem existimârint sufficere quod damnarent 5. propositiones juxta sensus hæreticos ipsis attributos in primis columnis præfati Scrip-

ti *distinctionis sensuum*: adeo ut tam non damnarent 5. propositiones juxta suum tenorem, juxta quem illas damnaverat S. Sedes, quam non damnarent juxta sensum Jansenii, juxta quem etiam illas damnaverat eadem S. Sedes: sed solummodo damnarent propositiones à 5. famosis quoad sensum revera diversas: prout videre est has quinque conferendo cum quinque aliis primarum columnarum sensus hæreticos exprimentibus. Atque ita, si non malitiosa, quod piè credendum est saltem verâ propositionum permutatione, fidei definitiones eludebantur. Idque profectò nonnunquam ita contigisse, credibilius ex eo redditur, quod etiam modo quidam Scriptor prologi Panegyreos pag. 67. optet primæ propositionis sensum hunc ab omnibus Christi fidelibus reprobandum explicari. " Aliqua Dei præcepta „justis omnibus volentibus & conanti-„bus secundum præsentis vitæ vires „sunt absolutè impossibilia, deest quo-„que iisdem gratia qua possibilia fiant." *Hunc secundæ.* " Interiori gratiæ, ut-„pote liberum arbitrium necessitanti, „seu violentiam adferenti, nunquam „resistitur." *Hunc tertiæ.* "Ad meren-
„dum

„dum & demerendum in statu naturæ „lapsæ non requiritur in homine libertas „à necessitate naturali, qualem in „brutis cogitamus, sed sufficit libertas „à coactione." *Hunc quartæ.* "Semipelagiani in hoc erant hæretici, quod „vellent gratiam talem esse, ut voluntas „non posset ab illa, utique violentiam „adferente, dissentire si vellet." *Et quintæ hunc.* "Semipelagianum est dicere, „Christum sive voluntate divina, quam antecedentem vocant, sive „desiderii cujusdam humanâ, pro omnibus „omnino hominibus mortuum „esse, aut sanguinem fudisse." Porrò consideranti patet illas 5. propositiones quoad sensum omnino differre à quinque famosis, adeo ut qui illas damnat, non ideo damnet quinque famosas, nempe (prout à S. Sede damnatæ sunt) juxta suum tenorem, sive juxta sensum obvium, quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt. Ac proinde agitur hic de famosarum 5. propositionum hæresibus, & non tantum de eo quod vocant factum Jansenii controversum; id est non tantum de eo, an ille sensus obvius quem ipsamet 5. propositionum famosarum verba præ se

ferunt, importetur, necne, in libro Jansenii. Hæc ibi. Igitur Panegyrista Jansenianus per hæc Brevis Historiæ verba gravissimè fuit argutus, nempe quod quinque propositionum hæreses damnare nollet, sed earum loco hæreses alias à se aliisque damnandas substitueret.

Porrò quid ad hanc momentosissimam admonitionem reponit Panegyrista in Apologia illa secunda, quam adeo præmeditatè adversus *Historiam Brevem* elucubravit? Apertè fatetur pag. 17. quod mecum admittat, Augustini ac Jansenii defensores assignavisse Propositionibus sensum Lutheranum & Calvinisticum: & addit, quod *quamvis ante Constitutionem Pontificiam nonnulli eum assignaverint tremuli, post illam tamen planissime & uno consensu velut naturalem, &, si velis, obvium receperint.*

Unde liquidò sequitur Jansenismum non fuisse nec esse merum *spectrum*, sicuti Apologiæ 1. pag. 24 & Apologiæ 2. pag. 4. contenditur; sed etiam modò non deesse qui 5. Propositionum hæreses à S. Sede, accedente postmodum Ecclesiæ consensu damnatas, damnare recuset.

§. 3.

§. 3.

Defenditur Urbani VIII. Bulla In eminenti *adversus objectiones ulteriores in 2. Apologia motas.*

OBjicit Panegyrista 2. Apol. pag. 6. Urbanum VIII. nimis facilè credidisse, quod Decreti Paulini tenor fuerit legitimè intimatus: quasi non foret omninò præsumendum, quod idem Urbanus istud affirmarit innixus nuntiorum relationibus, quæ secundum Jura plenam fidem in talibus faciunt: & quasi magis standum esset testimonio negativo Universitatis, apud quam ex variis capitibus potuit istius intimationis factæ notitia non extare.

Quomodo autem ponendo *memoriam* pro *notitia*, testimonii illius textum vitiavi, qui manifestè non textum, sed illius sensum exprimere volui, quin etiam expressi? Quid enim aliud est notitia quam cognitio? Et de qua cognitione ibi agitur nisi de memorativa? Si verò dixeris *notitiam* è monumentis archivorum peti posse, idem ego dicam de *memoria.*

Addit ibidem Panegyrista: *Decretum*

(ait Urbani anni 1641. *quod exceptionem e defectu insinuationis petitam rejicit, cum libro Jansenii sit posterius, consequenter hic vanè adducitur.* Verum exceptionem istam rejicit Urbanus tanquam prætextum, & talis rejectio videtur esse declaratio, quæ secundum jura retrotrahitur.

Deinde urget pag. sequenti, quod dicti Decreti nulla obtinuerit observatio in Belgio, imo quod ubique locorum penè editi sint in lucem libri tractantes de divinis auxiliis, idque per auctores cujuslibet ordinis, togæ, dignitatis & instituti. Sed data hac hyperbole, an existimas, quod lex per tales contrarios actus abrogetur, Legislatore non consentiente? Insuper etiam dato quod dictorum librorum editores à culpa immunes fuerint propter consuetudinem vel ignorantiam vel rationem aliam, equidem non sequitur, quod Pontifex anteriori suæ prohibitioni insistens librum sic editum prohibere nequeat, quando nullam pœnam irrogat personis illis, quæ editionem procurarunt, quemadmodum in historia dictum est n. II. quidquid Panegyrista loco citato dicat me ad *hæc tam prægnantia conticuisse pisce*

mutio-

mutiorem; cum ipse econtra ad hanc meam responsionem omninò siluerit.

Ibidem postea propugnare nititur quod nomen Jansenii *in Bullam Urbani irrepserit inscia imo nolente sua Sanctitate*; idque testimonio Sinnichiis quod ad rem non pertinere monstratum est aliàs. *An ergo*, ait, *nomen Jansenii in Bulla non exprimitur?* Imo, imo exprimitur, sed quid inde? Cum equidem in Bulla ista ipse Jansenius in particulari, sive persona Jansenii in particulari *non sugilletur cum expressione sui nominis*: sed liber cui titulus *Augustinus Jansenii*. Verum *ô calamitosa effugia!* exclamat ibidem Panegyrista: qui insuper hæc subjungit: *An fortasse quidquam interest inter hæc duo, quod liber Jansenii sugilletur, vel quod Jansenius propter librum acerbæ sugillationis vibice liveat?* Prorsus interest, veluti facile perspiciet quisquis advertet, quantum inter se differant persona Jansenii, & Jansenii liber.

Pergit Panegyrista. " Edoceat nos „ (ait) quæso historicus, utrum dede„ coris nihil in se spargi existimaret, si „ quispiam solutioris linguæ historio„ las suas Bajanismi & Jansenismi dice„ ret esse librorum vappas, quas nequi„ dem

„ dem tyrunculi, qui primum ære la-
„ vantur, aveant esse suas."

Existimo quod inde aliquid dedecoris in me redundare posset: sed equidem nulla possunt allegari jura, quæ statuant me ab ullo Superiore aut Judice quocumque, aut à quocumque de libellis istis loquente prout objicitur, audiendum aut citandum, antequam simile judicium proferri possit. Addo quod juxta Tribunalium omnium tam sæcularium quam Ecclesiasticorum libros damnantium aut prohibentium constantem usum, sæpe damnentur aut prohibeantur libri non auditis neque citatis eorum authoribus; cum tamen verisimile non sit ista omnia Tribunalia hac in re impingere in notissima illa jura quæ extant de audienda parte. Unde nullus dubito quin per ista Jura Judici competenti liceat libellis antedictis, me non audito neque citato, notam illam inurere quam inurendam esse judicabit. Si quid autem dedecoris ex tali damnatione in me redundet quod me nullo modo meritum esse sentiam, potero, & quidem id permittente tali Judicis sententia, causari quod libellus ille qui nomen meum præfert non sit meus,
vel

vel non à me jussus imprimi, vel quod sit adulteratus, vel mendis typographicis scatens, vel quod quædam aliter, sed inadvertenter, in libello expresserim quam in animo sentirem: aut aliud ejusmodi. Neque quodcumque istorum in meam excusationem afferens, sententiæ præfatæ repugnabo.

Laudet ergo Panegyrista Jansenium à singulari ingenio, pietate, doctrina, studio, librorum omnium suorum submissione erga S. Sedem &c. Addat, si velit, vel quod liber ille qui *Augustinus Jansenii* nuncupatur, revera non sit ipsius, vel quod non sit ejus jussu aut consensu in lucem editus à quibusdam assertis executoribus ejus ex testamento; vel quod in prima etiam editione prodierit adulteratus vel mendis typographicis scatens, vel quod Jansenius aliter in mente senserit quam in libro inadvertenter expresserit: etenim hæc aut similia dicendo, in Bullam Urbani nullatenus impingetur.

Aberrat autem Panegyrista dum pag. 8. Apol. 2. Dicit quod in ista Bulla liber Jansenii perhibeatur *Scriptus in totius reipublicæ Christianæ scandalum, & perniciem Catholicæ fidei:* imprimis enim ibi

non sit mentio *Scriptionis* sed *impressionis* seu *editionis in lucem*: & deinde quod ibi dicitur *impressas fuisse.... in grave scandalum & offensionem Ecclesiæ Catholicæ*, manifestum est ex textu, non tam referri ad librum famosum Jansenii aut ad famosas Jesuitarum theses, quam ad orationes, scripturas, epistolas, thesesque.... tam pro dicti libri Jansenii quam pro thesium Jesuiticarum defensione editas. Præterea quod attinet ad Albizium; cum Sinnichius valde graviter & confidenter quereretur, nominatim & indignè in Bulla habitum fuisse tam Illustrem Episcopum, quid mirum quod Pontifex aliquantum fuerit attonitus, ideoque Sinnichium ad Assessorem S. Officii, de toto ejusdem Bullæ multo tempore ante confectæ negotio plenius instructum remiserit. Denique quod attinet ad illa quæ ex Sanctamoreo proferuntur Apol. 2. pag. 8. adversus dictum Assessorem Albizium, patebit responsio ex iis quæ infra dicentur de authoritate Sanctamorei: & nihilominus hic rememorandum est quod pag. 88. Historiæ ex ipso Santamoreo relatum est ipsimet dixisse Cardinalem Chisium, nempe quod Doctoribus Flan-
dris

dris contendentibus Albizium adulterasse Bullam Urbani, ostendisset illam Bullam non esse adulteratam. Ex quo etiam confirmantur illa quæ duobus paragraphis immediatè sequentibus tradentur.

§. 4.

De famoso Commate.

PAg. 9. Apol. 2. audet Panegyrista dicere quod *non extimescam refricare* litem rancidam de interpunctione istius periodi Bullæ Pii V. *Quas quidem sententias &c.* cum ipse econtra litem istam à quibusdam Lovaniensibus motam, & omnibus eorum allegationibus maturè perpensis, per Decretum expressum Sanctæ Sedis de anno 1644. in *Historia Jansenismi* n. V. relatum terminatam, resuscitare non reformidaverit in Panegyri Janseniana pag. 77. & 78. per Actam quandam ibi recitatam. Sed adhuc antea vidimus Authorem illum tam parvi facere Decreta Pontificia, ut mihi vitio vertat quod illa propugnem.

Ad illud autem quod ex litteris Cardinalis Granvellani objicitur, in historia Bajanismi responsum est. Et Morillonii silentium, dum Bajus Bullam modo

sibi quam maximè favente interpretaretur, dumque eidem Morillonio non irritandus sed mitigandus videbatur, quid probat? Ecquid etiam probat instrumentum illud per quod probari videtur similiter intellexisse Universitatem in initio? quandoquidem in initio solorum articulorum, nondum verò Bullæ copiam accepisset; quam nempe demum post Toleti adventum, quin potius demum post reditum ejus accepit, id est non ante mensem Julium vel Augustum anni 1580. Hæc responsio applicari potest etiam illi quod objicitur ex Cuneri Petri Leovardiensis Episcopi commentario; cum ipse Cunerus 15. Februarii ejusdem anni obierit. Unde etiam in eodem commentario invenitur particula *tamen* eidem Bullæ perperam adjecta.

Quamvis autem adderetur etiam comma post particulam *intento*, illud equidem non adferret sensum illum qui prætenditur, uti liquet ex contextu. Deinde quod dicit Panegyrista de parenthesi, ex spuriis Bullæ copiis desumptum est.

§. 5.

§. 5.

Refellitur Apologistæ responsio super eo quod Urbani VIII. Bulla affirmet propositiones à Pio V. damnatas in Jansenii libro renovari.

IN Historia Jansenismi n. IV. expositum fuit quomodo Jansenii defensores quererentur, in Bulla Urbani dici quod in libro Jansenii defenderentur & innovarentur propositiones aliquæ per Pium V. damnatæ, & quod nihilominus faterentur in eodem libro doceri quod aliquæ bono sensu à S. Augustino traderentur, & quod eodem sensu sustineri possent tanquam veræ. Sed hoc ejusdem Historiæ n. V. per ipsa Bullæ Pianæ verba refutatum fuit. Et quid ad hæc Panegyrista? Respondet Apol. 2. pag. 11. quod Jansenius unam aut alteram ex illis Pianæ Bullæ Propositionibus.... non propter earum falsitatem, sed offensionem dumtaxat, quam *novitate sua aliquibus* præbebant, proscriptas fuisse asseveraverit. Verum uti dicitur Historiæ n. V. per verba Bullæ omnes propositiones damnantur, &c. non ad tempus tantum aut propter certas circumstantias, sed absolutè. Et quid ad hæc Panegyrista? Nihil: ac proin-

de super hoc quarto articulo tacuisse censendus est: quemadmodum etiam supra §. 1. monstratum fuit tacuisse ipsum ad tres sequentes articulos, sive ad tres primos ex sex reliquis.

Itaque superest examinandum, quidnam circa tres ultimos responsi dederit.

§. 6.

Refelluntur Apologistæ responsa quibus infirmare nititur argumenta probantia non esse moraliter impossibile quod liber à tot eruditis viris ex omni conditione &c. approbatus contineat quinas hæreses.

AD probationem è solemni approbatione celebris erroris S. Cypriani petitam, respondet Apologista Apol. 2. pag. 11. quod hæc *opinio cortici Scripturarum satis consentiens esset, nec legitimo ab Ecclesia judicio repudiata foret*: Quasi non pariter libri Janseniani approbatoribus videri potuerit quod 5. propositionum errores, velut in isto libro traduntur, Scripturis & Augustino consentirent (etiamsi tantum consentirent eorum cortici) quodque non forent legitimo ab Ecclesia judicio repudiati: præsertim cum approbationes istæ datæ sint

mul-

multis annis ante controversiam de quinque propositionibus ortam, imo aliquamdiu ante præfati libri prohibitionem; pro qua avertenda conquisiti fuerant qui tunc inveniri potuerunt, approbatores: quibusdam etiam fortassis inter illos quorum approbatio petebatur, illam denegantibus eo quod iste liber ipsis erroneus aut suspectus videretur. In casu autem altero reperiuntur non simplices Theologi, non hinc & illinc conquisiti, sed Episcopi 71. cum suo Primate synodicè congregati, & unanimiter quidem S. Cypriani errorem approbantes: ut jam nihil addam de pluribus aliis Alexandriæ & Orientis Episcopis ejusdem erroris approbatoribus. Quare firmum permanet argumentum ab approbatione erroris jam dicti petitum.

Manet similiter illud quod desumptum est ex approbatione scriptorum & erratorum Origenis & Theodori Mopsuesteni, nec non operum Quietisticorum, cum circa hæc sileat Apologista. Neque verum esse videtur quod frustrà aliqui, præsertim authoritate valentes, olim ante prohibitionem conquisivissent operum Dupinii aut Petri Suavis seu

Fra-

Fratris Pauli approbatores publicos & omnigenos.

Quod autem attinet ad *nonam difficultatem*, non negat Panegyrista tales approbatores reperiri potuisse: sed econtra confidenter affirmat quod illa seipsam copiosè tueatur adversus allatas à Canonico quisquilias: sic vocans gravium excessuum observationes, ex. g. de contempto Alexandri VIII. decreto circa 31. propositiones; & de contemptis librorum prohibitionibus; quas ipse etiam Panegyrista expressè contemnit Apol. 2. pag. 23. quemadmodum etiam parvi facit damnationem hujus trigesimæ primæ propositionis, *Bulla Urbani VIII. In eminenti est subreptitia.*

Postremum argumentum non minus aptum & ipsi materiæ proprium quam dilucidum & efficax eludere, eique lucem ac vim auferre frustra conatur Apologista; idem argumentum ad hoc veri, ut ait, & genuini reducens. "I. „Quod Pontifex damnarit propositio„nes quinque capaces orthodoxorum „& heterodoxorum sensuum, nullo „sensu in quo eas damnaverit, claris „ac præcisis terminis circumscripto. „II. Quod idem Pontifex declarave-

„rit;

„rit sensum ex sua mente damnatum „non esse sensum S. Augustini & gra„tiæ per se efficacis: quem tamen uni„cum sensum Jansenii defensores in „opere ejus se reperire prædicant, & „solum tuentur. III. Quod illa Pon„tificis declaratione audita, defensores „Iprensis Præsulis voces illas proposi„tionum æquivocas abdicarint, rejece„rintque in omni sensu quem Pontifex „& Ecclesia damnat. Quis sit autem „ille omnis vel singularis damnatus „sensus, hactenus neque per Pontificem „neque per Ecclesiam dilucida peri„phrasi definitum est." Hæc ille, sed incassùm.

Etenim primum omnino falsum esse patet ex historia, & patebit amplius ex docendis infra. Secundum ad rem præsentem non pertinet. In tertio, præter impertinentiam, malè insinuatur quod tantùm rejecerint in omni sensu quem Pontifex & Ecclesia damnat, cùm rejecerint absolutè & non assignarint illis postea ullum bonum sensum; sicut in historia n. XXII. probatum est testimonio ipsius Santamorei; quartum non subesse ostensum est in historia, seu potius in solutione ultimæ

objectionis, & amplius adhuc ostendetur infra.

Hæc igitur est postrema argumenti fucata solutio quam adfert Apologista; nisi quod quædam ad commendandum opus Jansenii & ejusdem operis lectionem adjungat.

Cæterum libenter admittimus, quod si quinæ famosæ hæreses accipiantur (velut illas perperam accipit Panegyrista) pro quinque famosis propositionibus, juxta sensus Lutheranos & Calvinisticos antedictos expositis seu intellectis, existimandum sit quod quinæ hæreses istæ tot ac talium dicti Janseniani operis approbatorum oculos non effugissent.

§. 7.

De iis quæ in Apologia 2. objiciuntur circa solutionem penultimi articuli de distinctione Juris & Facti.

CONtra solutionem objectionis quintæ inter sex reliquas, seu nonæ inter decem, nihil aliud prorsus ad rem pertinens objicit Apologista quam illud quod sequitur.

" Si jam proponeretur, ait pag 14.

" &

„& 15., hæc formula jurejurando firmanda:

„Ego definitioni Conciliorum Generalium, Sexti, Septimi & Octavi, ac Summorum Pontificum S. Leonis & Adriani II. me submitto, atque Epistolam Papæ Honorii ad Sergium Patriarcham in sensu ab Honorio intento execror & abjicio. Sic me Deus adjuvet, & Sancta Dei Evangelia."

"Quæstio fit (prosequitur Apologista) an Jesuitis Honorium innocentem arbitrantibus liceret ejusmodi Formulæ subscribere sine labe perjurii? Et si liceat, secunda superadditur quæstio, quas ergo ideas seu perceptiones & quem assensum vocabula Formulæ adducta generent in mente jurantium? Hunc nodum si Canonicus solverit, &c."

Respondet itaque Canonicus; si memorata Formula aut quævis alia tanquam jurejurando firmanda proponeretur ab Ecclesia vel à S. Sede (præsertim cum expresso consensu v. g. Ecclesiæ Gallicanæ & Belgicæ, aliarumque Ecclesiarum consensu saltem tacito, sic ut nulla particularis Ecclesia repugnaret (prout accidit circa Formulam Alexan-

drinam) deberent Jesuitæ spreto timore perjurii aut alterius criminis, Ecclesiæ aut S. Sedi subscriptionem injungenti parere: certi quod juxta Christi promissum fieri non possit, ut Ecclesia, aut S. Sedes, præsertim in circumstantiis antepositis, fideles suos per solemnem Formulam ad perjurium vel aliud quodcumque crimen adigat. Quantum ad aliam quæstionem priori substitutam his verbis, *Si liceat, quas ergo ideas seu perceptiones & quem assensum vocabula Formulæ adducta generent in mente jurantium*: non ignorat Panegyrista quod Innocentius XII. in suo Brevi de 6. Feb. 1694. sic loquatur: Ii qui ad juramen-" tum adigendi sunt, illud præstare de-" bent sincerè absque ulla distinctione, " restrictione seu expositione, damnan-" do eas propositiones ex libro Jansenii " excerptas in sensu obvio quem ipsamet " propositionum verba præ se ferunt; " prout sensum illum damnârunt Sum-" mi Pontifices Prædecessores nostri, " damnatumque haberi voluerunt à " Christi fidelibus." *Et infra.* "Cæte-" rum ad præcavendas omnes dissidio-" rum causas quæ Christianam pacem " dilacerant, Nos quoscumque alios sen-

" sus

"sus Formularii præter eum quem ipsius "verba exhibent, afferri vel usurpari, "aut de his disputari interdiximus & "prohibuimus, ac super ejusdem For- "mularii interpretatione, sicut & præ- "dictarum propositionum in alios sen- "sus præter eum quem ipsa verba per se "exhibent, perpetuum silentium impo- "suimus, ut ex nostris Decretis tam "super ipso silentio quàm super prohi- "bitione omnium librorum editorum "& edendorum in hac materia plenius "innotescet."

Cum autem supradicta quæstio posterior directè tendat ad transgrediendam legem silentii verbis anterioribus impositi, prout etiam illam apertè transgreditur Panegyrista tam in Prologo galeato quàm in Apologiis, declaro ego mihi per istam legem non licere *hunc nodum solvere.*

§. 8.

Expenduntur Apologistæ responsa circa sensum obvium, *& circa novum causæ Jansenianæ examen ab ipso prætensum.*

DUm Apologista pag. 15. professus est se agere velle de objectione sensum obvium concernente, dumque mul-

tis verbis dixit & non probavit me multa promittere quæ non præsto, tunc quædam refert tanquam verba mea & tanquam uno contextu posita, cum tamen interjaceant alia plura quæ sensum immutant.

Sic ergo se habent verba mea in principio responsionis ad objectionem ultimam: "Innocentius X. his Bullæ suæ „verbis, *Cum occasione impressionis libri* „*cui titulus Augustinus C. Jansenii E. I.* „*inter alias ejus opiniones orta fuerit præ-* „*sertim in Galliis controversia super quin-* „*que ex illis*, clarè affirmat quinque pro- „positiones contineri inter alias opinio- „nes quæ traduntur in libro Jansenii ...

„Ideoque Alexander VII. meritò de- „finivit & declaravit Innocentium X. „damnasse 5. propositiones in sensu à „Jansenio intento. Deinde ex his dictæ „Bullæ Innocentianæ verbis: *Tenor ve-* „*rò præfatarum propositionum est prout* „*sequitur. Prima. Aliqua Dei præcepta* „*&c* & ex damnatione subjuncta, cla- „rè patet illas propositiones ibi damnari „in sensu obvio quem ipsamet proposi- „tionum verba præ se ferunt, prout „Innocentius XII. Prædecessores suos „(scilicet Innocentium X. & pariter A-

„lexan-

„lexandrum VII. qui Innocentii X.
„Constitutionem approbavit & inno-
„vavit) sensum illum damnasse declara-
„vit. Ex quo sequitur quod 5 proposi-
„tionum sensum à Jansenio intentum
„S. Sedes judicet eundem esse cum 5.
„propositionum sensu obvio quem ip-
„lamet propositionum verba præ se fe-
„runt." Hæc ibi.

Discursus autem ille tam solidus est quam infirmus sit ille alter quem Apologista hic mihi tribuit, omittendo scilicet hæc verba interposita *Deinde ex his dictæ Bullæ Innocentianæ verbis: Tenor &c.*

Sed quidnam ipse opponit? Hoc tantum multis verbis, primò quærit, an Innocentius X. in affirmatione illa qua quinque propositiones in libro Jansenii contineri affirmavit, falli potuerit: deinde multis pariter verbis me provocat ut Augustini & Jansenii dissimilitudinem ostendam: sicque ad propositum respondere subterfugit, & ad alia divertit.

Postea transit ad sensum Jansenii & ad sensum obvium, dicitque quod asseram facilius esse, ut noscatur sensus ille quinque propositionum obvius (nempe quem ipsamet propositionum verba præ

se

„positionum sensus obvius est sensus „gratiæ per se efficacis."

Quam bella præmissorum probatio, & quam bella ratiocinatio! Etenim quod dicit *sensum à Jansenio intentum, me auctore, è mente Pontificum unum & eundem esse* (si intelligat unum & eundem esse cum sensu obvio quem ipsa 5. propositionum verba exhibent) verum est, sed prorsus aberrat, si intelligat unum & eundem esse, me auctore, cum sensu gratiæ per se efficacis; quippe qui nullibi quidquam simile indicavi: & qui contrarium sæpius in historia significavi, quemque gratiæ per se efficacis Thomisticæ defensorem esse constat.

Judicet itaque modò Lector quam rectè concludat Panegyrista, dum ita concludit: "Ergo secundum illos Je„suitas & Deckerum simul adunatos, „propositionum sensus obvius est sen„sus gratiæ per se efficacis."

Dum dixerat Canonicus, aliquos Jesuitas & alios intellexisse sensum intentum prout modò relatum est, addiderat sequentia, "sed hactenus ignotus „est ullus Jesuita vel alius eruditus (uti „nec

„nec creditur facilè futurus) qui sensum obvium quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt, acceperit velut objectum est, id est, acceperit sensum Augustinianum & gratiæ per se efficacis."

Apologista verò pag. 17. ad hæc respondere cupiens, & non valens assignare ullum Jesuitam vel alium qui sensum obvium sic intelligat, fingit me vaticinari: & hæc verba, *nec creditur facilè futurus ullus Jesuita vel alius eruditus qui sensum obvium sic accipiat*, vocat *Prophetiam sublectissimam*, per hoc ostendens quam bellè Prophetiam dignoscere valeat.

Pergit Apologista. "Inde patet,ait, „quod Jesuitæ isti jam in intelligentia „illius obvii sensus & à Pontifice & „ab ipso etiam Deckero dissentiant."

Si quis Jesuita sensum obvium acciperet sensum gratiæ per se efficacis Augustinianæ, fateor quod tam à Pontifice quam à me dissideret: sed Apologista nullum assignare potuit qui post primum Breve sic acceperit: imo Jesuitæ illi qui ante istud Breve sensum gratiæ per se efficacis damnatis propositionibus assignarunt, non assigna-

Fratris Pauli approbatores publicos & omnigenos.

Quod autem attinet ad *nonam difficultatem*, non negat Panegyrista tales approbatores reperiri potuisse:sed econtra confidenter affirmat quod illa seipsam copiosè tueatur adversus allatas à Canonico quisquilias: sic vocans gravium excessuum observationes, ex. g. de contempto Alexandri VIII. decreto circa 31. propositiones; & de contemptis librorum prohibitionibus; quas ipse etiam Panegyrista expressè contemnit Apol. 2. pag. 23. quemadmodum etiam parvi facit damnationem hujus trigesimæ primæ propositionis, *Bulla Urbani VIII. In eminenti est subreptitia.*

Postremum argumentum non minus aptum & ipsi materiæ proprium quam dilucidum & efficax eludere, eique lucem ac vim auferre frustra conatur Apologista; idem argumentum ad hoc veri, ut ait, & genuini reducens. "I. ,,Quod Pontifex damnarit propositio- ,,nes quinque capaces orthodoxorum ,,& heterodoxorum sensuum, nullo ,,sensu in quo eas damnaverit, claris ,,ac præcisis terminis circumscripto. ,,II. Quod idem Pontifex declarave-

,,rit,

„rit sensum ex sua mente damnatum „non esse sensum S. Augustini & gra„tiæ per se efficacis: quem tamen uni„cum sensum Jansenii defensores in „opere ejus se reperire prædicant, & „solum tuentur. III. Quod illa Pon„tificis declaratione audita, defensores „Iprensis Præsulis voces illas proposi„tionum æquivocas abdicarint, rejece„rintque in omni sensu quem Pontifex „& Ecclesia damnat. Quis sit autem „ille omnis vel singularis damnatus „sensus, hactenus neque per Pontificem „neque per Ecclesiam dilucida peri„phrasi definitum est." Hæc ille, sed incassùm.

Etenim primum omnino falsum esse patet ex historia, & patebit amplius ex docendis infra. Secundum ad rem præsentem non pertinet. In tertio, præter impertinentiam, malè insinuatur quod tantùm rejecerint in omni sensu quem Pontifex & Ecclesia damnat, cum rejecerint absolutè & non assignarint illis postea ullum bonum sensum; sicut in historia n. XXII. probatum est testimonio ipsius Santamorei; quartum non subesse ostensum est in historia, seu potius in solutione ultimæ

objectionis, & amplius adhuc ostendetur infra.

Hæc igitur est postrema argumenti fucata solutio quam adfert Apologista; nisi quod quædam ad commendandum opus Jansenii & ejusdem operis lectionem adjungat.

Cæterum libenter admittimus, quod si quinæ famosæ hæreses accipiantur (velut illas perperam accipit Panegyrista) pro quinque famosis propositionibus, juxta sensus Lutheranos & Calvinisticos antedictos expositis seu intellectis, existimandum sit quod quinæ hæreses istæ tot ac talium dicti Janseniani operis approbatorum oculos non effugissent.

§. 7.

De iis quæ in Apologia 2. objiciuntur circa solutionem penultimi articuli de distinctione Juris & Facti.

Contra solutionem objectionis quintæ inter sex reliquas, seu nonæ inter decem, nihil aliud prorsus ad rem pertinens objicit Apologista quam illud quod sequitur.

" Si jam proponeretur, ait pag 14.

" &

„& 15., hæc formula jurejurando firmanda:

„Ego definitioni Conciliorum Generalium, Sexti, Septimi & Octavi, „ac Summorum Pontificum S. Leonis „& Adriani II. me submitto, atque „Epistolam Papæ Honorii ad Sergium „Patriarcham in sensu ab Honorio intento execror & abjicio. Sic me Deus „adjuvet, & Sancta Dei Evangelia."

"Quæstio fit (prosequitur Apologista) an Jesuitis Honorium innocentem arbitrantibus liceret ejusmodi Formulæ subscribere sine labe perjurii? „Et si liceat, secunda superadditur quæstio, quas ergo ideas seu perceptiones & quem assensum vocabula Formulæ adducta generent in mente jurantium? Hunc nodum si Canonicus „solverit, &c."

Respondet itaque Canonicus; si memorata Formula aut quævis alia tanquam jurejurando firmanda proponeretur ab Ecclesia vel à S. Sede (præsertim cum expresso consensu v. g. Ecclesiæ Gallicanæ & Belgicæ, aliarumque Ecclesiarum consensu saltem tacito, sic ut nulla particularis Ecclesia repugnaret (prout accidit circa Formulam Alexan-

drinam) deberent Jesuitæ spreto timore perjurii aut alterius criminis, Ecclesiæ aut S. Sedi subscriptionem injungenti parere: certi quod juxta Christi promissum fieri non possit, ut Ecclesia, aut S. Sedes, præsertim in circumstantiis antepositis, fideles suos per solemnem Formulam ad perjurium vel aliud quodcumque crimen adigat. Quantum ad aliam quæstionem priori substitutam his verbis, *Si liceat, quas ergo ideas seu perceptiones & quem assensum vocabula Formulæ adducta generent in mente jurantium*: non ignorat Panegyrista quod Innocentius XII. in suo Brevi de 6. Feb. 1694. sic lequatur: Ii qui ad juramen-"tum adigendi sunt, illud præstare de-"bent sincerè absque ulla distinctione, "restrictione seu expositione, damnan-"do eas propositiones ex libro Jansenii "excerptas in sensu obvio quem ipsamet "propositionum verba præ se ferunt; "prout sensum illum damnârunt Sum-"mi Pontifices Prædecessores nostri, "damnatumque haberi voluerunt à "Christi fidelibus." *Et infra.* "Cæte-"rum ad præcavendas omnes dissidio-"rum causas quæ Christianam pacem "dilacerant, Nos quoscumque alios sen-

"sus Formularii præter eum quem ipsius "verba exhibent, afferri vel usurpari, "aut de his disputari interdiximus & "prohibuimus, ac super ejusdem For- "mularii interpretatione, sicut & præ- "dictarum propositionum in alios sen- "sus præter eum quem ipsa verba per se "exhibent, perpetuum silentium impo- "suimus, ut ex nostris Decretis tam "super ipso silentio quàm super prohi- "bitione omnium librorum editorum "& edendorum in hac materia plenius "innotescet."

Cum autem supradicta quæstio posterior directè tendat ad transgrediendam legem silentii verbis anterioribus impositi, prout etiam illam apertè transgreditur Panegyrista tam in Prologo galeato quàm in Apologiis, declaro ego mihi per istam legem non licere *hunc nodum solvere.*

§. 8.

Expenduntur Apologistæ responsa circa sensum obvium, *& circa novum causæ Jansenianæ examen ab ipso prætensum.*

DUm Apologista pag. 15. professus est se agere velle de objectione sensum obvium concernente, dumque mul-

tis verbis dixit & non probavit me multa promittere quæ non præsto, tunc quædam refert tanquam verba mea & tanquam uno contextu posita, cum tamen interjaceant alia plura quæ sensum immutant.

Sic ergo se habent verba mea in principio responsionis ad objectionem ultimam: "Innocentius X. his Bullæ suæ „verbis, *Cum occasione impressionis libri „cui titulus Augustinus C. Jansenii E. I. „inter alias ejus opiniones orta fuerit præ„sertim in Galliis controversia super quin„que ex illis*, clarè affirmat quinque pro„positiones contineri inter alias opinio„nes quæ traduntur in libro Jansenii...

„Ideoque Alexander VII. merito de„finivit & declaravit Innocentium X. „damnasse 5. propositiones in sensu à „Jansenio intento. Deinde ex his dictæ „Bullæ Innocentianæ verbis: *Tenor ve„rò præfatarum propositionum est prout „sequitur. Prima. Aliqua Dei præcepta „&c* & ex damnatione subjuncta, cla„rè patet illas propositiones ibi damnari „in sensu obvio quem ipsamet proposi„tionum verba præ se ferunt, prout „Innocentius XII. Prædecessores suos „(scilicet Innocentium X. & pariter A-

„lexan-

„lexandrum VII. qui Innocentii X.
„Constitutionem approbavit & inno-
„vavit) sensum illum damnasse declara-
„vit. Ex quo sequitur quod 5 proposi-
„tionum sensum à Jansenio intentum
„S. Sedes judicet eundem esse cum 5.
„propositionum sensu obvio quem ip-
„samet propositionum verba præ se fe-
„runt." Hæc ibi.

Discursus autem ille tam solidus est quam infirmus sit ille alter quem Apologista hîc mihi tribuit, omittendo scilicet hæc verba interposita *Deinde ex his dictæ Bullæ Innocentianæ verbis: Tenor &c.*

Sed quidnam ipse opponit? Hoc tantum multis verbis, primò quærit, an Innocentius X. in affirmatione illa qua quinque propositiones in libro Jansenii contineri affirmavit, falli potuerit: deinde multis pariter verbis me provocat ut Augustini & Jansenii dissimilitudinem ostendam: sicque ad propositum respondere subterfugit, & ad alia divertit.

Postea transit ad sensum Jansenii & ad sensum obvium, dicitque quod asseram facilius esse, ut noscatur sensus ille quinque propositionum obvius (nempe quem ipsamet propositionum verba præ

se

ferunt) quam ut noscatur sensus à Jansenio intentus, ex lectione Janseniani operis: & quod hoc ille cum ipsa, quam reclamo, experientia perneget. Ac postea sic ait pag. 16." Sensus Jansenii in „ libro ejus hominibus non præventis „ ac sollicitam operam adhibentibus, ut „ volumen à capite ad calcem evolvant, „ & consecutiones cum principiis con„ ferant, instar solis lucet ac radiat, & si „ cui non radiet nos caliganti fulgentem „ dabimus."

Nota, Lector, quomodo hic requirantur primò homines *non præventi*, quorum profectò exiguus est numerus aut saltem multo minor quàm aliorum. Secundò requiritur quod homines illi non præventi *sollicitam operam adhibeant, ut volumen* (ingens & cum otio legendum Apol. 1. p. 21.) *à capite ad calcem evolvant*: per quod rursus multum minuitur hominum istorum numerus. Tertiò requiritur ut *consecutiones cum principiis conferant*: quod iterum satis minuit numerum, cum certè ad debitam ejusmodi collationem non vulgaris capacitas requiratur. Et ideo etiam addit, *si cui* tali *non radiet sensus Jansenii, nos caliganti fulgentem dabimus*; postquam

quam verò hæc dixit, ita prosequitur.
" At sensus ille obvius tam non est ob-
„ vius ut, ipsomet historico teste, om-
„ nium acies latuerit hactenus, nec for-
„ tassis nisi unico Canonico nostro (cre-
„ dite id leves posteri) conspicuus sit."
Ita ipse valde audacter, etiamsi nihil magis à veritate alienum sit, quam me illud testificari, aut hoc existimare.

Sed videamus quomodo hæc sua figmenta probabit his verbis immediatè sequentibus: "fatetur enim (Canonicus)
„ non defuisse Jesuitas qui sensum 5. pro-
„ positionum à Jansenio intentum intel-
„ lexere sensum gratiæ efficacis, adeo-
„ que gratiam per se efficacem in Janse-
„ nio profligatam voluere." Ita est, nimirum antequam emanasset primum Breve Innocentii XII. sicut etiam ante idem Breve editi sunt libelli sub nominibus Oropega & Cranebergh; quorum tamen Author non est modernus Illmi ac Rmi Archiepiscopi nostri Confessarius, ut existimat Apologista.

"Porrò (sic prosequitur idem) sensus à
„ Jansenio intentus, auctore ipso Decke-
„ ro, è mente Pontificum unus &
„ idem est, ergo secundum illos Jesui-
„ tas & Deckerum simul adunatos, pro-

F „ posi-

„positionum sensus obvius est sensus
„gratiæ per se efficacis."

Quam bella præmissorum probatio, & quam bella ratiocinatio! Etenim quod dicit *sensum à Jansenio intentum, me auctore, è mente Pontificum unum & eundem esse* (si intelligat unum & eundem esse cum sensu obvio quem ipsa 5. propositionum verba exhibent) verum est, sed prorsus aberrat, si intelligat unum & eundem esse, me auctore, cum sensu gratiæ per se efficacis; quippe qui nullibi quidquam simile indicavi: & qui contrarium sæpius in historia significavi, quemque gratiæ per se efficacis Thomisticæ defensorem esse constat.

Judicet itaque modò Lector quam rectè concludat Panegyrista, dum ita concludit: "Ergo secundum illos Je-
„suitas & Deckerum simul adunatos,
„propositionum sensus obvius est sen-
„sus gratiæ per se efficacis."

Dum dixerat Canonicus, aliquos Jesuitas & alios intellexisse sensum intentum prout modò relatum est, addiderat sequentia, "sed hactenus ignotus
„est ullus Jesuita vel alius eruditus (uti
„nec

„nec creditur facilè futurus) qui sen-
„sum obvium quem ipsamet proposi-
„tionum verba præ se ferunt, accepe-
„rit velut objectum est, id est, acce-
„perit sensum Augustinianum & gra-
„tiæ per se efficacis."

Apologista verò pag. 17. ad hæc respondere cupiens, & non valens assignare ullum Jesuitam vel alium qui sensum obvium sic intelligat, fingit me vaticinari: & hæc verba, *nec creditur facilè futurus ullus Jesuita vel alius eruditus qui sensum obvium sic accipiat*, vocat *Prophetiam sublectissimam*, per hoc ostendens quam bellè Prophetiam dignoscere valeat.

Pergit Apologista. "Inde patet,ait,
„quod Jesuitæ isti jam in intelligentia
„illius obvii sensus & à Pontifice &
„ab ipso etiam Deckero dissentiant."

Si quis Jesuita sensum obvium acciperet sensum gratiæ per se efficacis Augustinianæ, fateor quod tam à Pontifice quam à me dissideret: sed Apologista nullum assignare potuit qui post primum Breve sic acceperit: imo Jesuitæ illi qui ante istud Breve sensum gratiæ per se efficacis damnatis propositionibus assignarunt, non assigna-

runt illum tamquam sensum obvium quem ipsa propositionum verba per se exhibent, sed tanquam sensum à Jansenio intentum.

Sic ulterius instat Apologista. "Admittit (Canonicus) Augustini ac Jansenii defensores assignavisse Propositionibus.... sensum Lutheranum & Calvinisticum."

Ita est, videlicet illum qui refertur in Historia n. XIX. sed nunquam admisi quod illum assignaverint tanquam sensum obvium *quem ipsamet 5. Propositionum verba præ se ferunt:* sed econtra in responsione ad objectionem ultimam pag. 133. monui quod dum assignarunt sensum damnabilem & hæreticum primæ Propositionis, illum assignarint expressè tanquam talem *qui primæ propositioni affingi poßet, quem tamen legitimè sumpta non habet.* Quod autem ibi dixi de prima Propositione, exempli gratia, pariter verum est de cæteris: nam uti videre est in ipso famoso scripto distinctionis sensuum quod extat tam in Panegyri Janseniana quam in Diario Santamorei, dum quinque Propositionibus assignarunt sensum Lutheranum aut Calvinisticum, unicuique talium sen-

sensuum ibi assignatorum præfixerunt hunc titulum: *Sensus hæreticus qui primæ Propositioni malignè affingi posset, quem tamen legitimè sumpta non habet. Sensus hæreticus qui secundæ Propositioni malignè affingi, &c.* & sic de cæteris tribus.

Deinde sive sensus isti Lutherani vel Calvinistici assignati fuerint tamquam obvii, sive non; equidem unusquisque manifestè videbit illos sensus non esse sensus obvios quos ipsamet 5. Propositionum verba præ se ferunt; hoc, inquam, manifestè videbit, si eosdem sensus in Historia n. XIX. relatos conferat cum 5. famosis Propositionibus.

Videbit consequenter, quid sentiendum sit de eo quod Apologista ibidem addit dicens: " Quamvis ante Constitutionem Pontificiam nonnulli eum „(sensum Lutheranum & Calvinisticum) „assignaverint tremuli, post illam tamen „planissimè & uno consensu velut natu„ralem, & si velis, obvium receperunt."

Nempe videbit quomodo juxta Panegyristam nostrum, plurimi Innocentii X. & Alexandri VII. Constitutiones eluserint, non dico circa illud quod factum vocant, sed circa ipsas in 5. propositiones

positionibus damnatas hæreses: & quomodo Panegyrista dictas Constitutiones & Innocentii XII. Brevia eludere huc usque pergat.

Interim illum hæc subjungentem audiamus. " Ex iis videor mihi, ait, ju-
„ xta nostri Historici ipsam mentem non
„ temerè jam posse concludere, propriè
„ ac justè loquendo ambiguarum & ver-
„ satilium istarum propositionum sensum
„ obvium nullum dari. Obvium enim
„ si rectè intelligo, hoc solum dici de-
„ bet, quod prima fronte cuilibet vel
„ mediocriter attendenti in oculos insi-
„ lit. At quo pacto tale asseri mereatur,
„ quod & à Jesuitis aliter atque aliter,
„ & à Jansenii protectoribus aliter at-
„ que aliter perceptum, neutris tamen,
„ si Canonico credimus, omnibus di-
„ versis illis intellectibus accuratè inno-
„ tuit."

Quam temerè illud juxta mentem meam concludat, abundè patet ex supradictis. Deinde quod attinet ad illud, *quo pacto obvium asseri mereatur quod & à Jesuitis aliter* &c. neque Jesuitæ illi de quibus agitur, neque protectores Jansenii suum sensum assignârunt tamquam sensum obvium quem ipsamet 5. propositionum

num verba præ se ferunt: sed illi tamquam sensum à Jansenio intentum, & hi tamquam sensum qui quinque propositionibus affingi posset.

Quibus intellectis, jacent Apologistæ nostri verbosæ argutiæ quibus de me sic ait: "Ipsemet sensum illum obvium assiduè quasi eructaturus, lectorem avidum perpetuo ludificatur: ut nec ipsum suspicer non tantum nescire quis ille sensus obvius sit, sed quem obvium velit dicere. Si enim tam est obvius, cur non indigitat? Si cæteros falli arbitratur, cur ab errore non revocat?"

Etenim, sicuti liquet ex historia, S. Sedes oblatos sibi à Santamoreo & sociis ejus diversos 5. propositionum sensus rejecit, ac 5. propositiones præcisè secundum se sive secundum suos terminos spectatas qualificare voluit; unde etiam Innocentius X. quinque propositiones damnavit secundum suum *tenorem*, sicuti ostensum fuit. *Tenorem* autem istum, interprete Innocentio XII. intelligere debemus sensum obvium quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt. Sed Panegyristæ nostro hæc displicent: repetit ille semper antiquam

can-

cantilenam de variis propositionum sensibus distinguendis, contenditque Innocentii XII. Brevia malo cavendo imparia esse, neque per illa satis declaratum esse sensum illum in quo damnatæ sunt 5. propositiones, quamvis idem Pontifex aperto & ab omnibus facile intelligibili modo declaraverit, quod Summi Pontifices Prædecessores sui in 5. propositionibus damnaverint sensum obvium quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt, eumque sensum à Christi fidelibus damnatum haberi voluerint.

Hanc ergo declarationem spernens Panegyrista, declarationem ulteriorem exigit, etiamsi ipsemet, si debitè velit attendere, ignorare nequeat quis sit ille sensus obvius quem ipsamet 5. propositionum verba præ se ferunt. Si verò propter præjudicia aut quamcumque aliam causam profiteri pergat se nescire quis ille sit sensus, ego certè nunquam illum aliter ipsi exponam quam juxta Breve præfatum; uti nec unquam aliter illum exponere volui, quidquid Apologista fingat quod interdum videri voluerim eundem sensum ulterius expositurus: quasi verò nescire possit

possit quid circa Decretorum Apostolicorum observantiam in præfatione & aliis locis libelli quem impugnat, professus sim; & quomodo n. XXXIII. ex Brevi Apostolico illud retulerim, quod ex eodem Brevi refertur §. præcedenti. Si verò Panegyrista se Decretis hujusmodi parum ligari sentiat, ego idem sentire nec volo nec possum.

Adeoque pariter rejiciendum est mihi illud quod pag. 18. præfractè & iteratò obtrudit, nempe se jure dignissimo ad pacem Ecclesiæ adhuc hæc duo desiderare: primò ut clarè & distinctè explicetur damnatus 5. propositionum sensus: & secundò ut liber Jansenii legitimè examinetur.

Primum, inquam, rejiciendum est, quia quod ibi desideratur, præstitum est per dictum Breve de 6. Feb. 1694. & quia, sicuti §. 2. monstratum est, Panegyrista quinque famosarum propositionum sensum sub specie explicationis, revera immutare desiderat.

Secundum pariter rejiciendum est, quia in Historia Jansenismi, & præsertim in responsione ad tertiam objectionem inter sex reliquas, fuit ex decretis Pontificiis, & ex aliis plurimis ita

liquidò probatum quod liber Jansenii legitimè fuerit examinatus, ut Panegyrista nihil adversus illas probationes replicare potuerit ad illa propugnanda quæ super hac re in Panegyri produxerat.

Cæterum ut aliquid respondisse videretur ad illud quod contra Panegyrim ostensum erat impertinenter allegata esse quædam jura, quasi Romæ actum foret de persona Jansenii damnanda aut judicanda; sic ait pag. 19. "Nos contrà contendimus accusationem Jansenii ad minus æque personalem esse, ac personalis fuit accusatio Stephani actorum 6. ubi subornati illi maledici dicebant se audivisse eum docentem verba blasphemiæ in Moysen & in Deum." Sed quanta est disparitas! adducunt hi Stephanum in Concilium non tantum ut verba illa quæ dicebant se audivisse ex ore ejus damnanda curarent, sed ipsius personæ Stephani damnationem, & quidem directè, intendebant. Non fuit autem Romæ actum de damnanda Jansenii persona.

Nec obstat quod 5. propositiones damnatæ sint ut excerptæ è libro Jansenii,

senii, & in sensu per ipsum intento: quia per hæc nihil aliud significatur quam quod propositiones illæ sint excerptæ è libro præferente nomen Jansenii, quodque damnatæ sint in sensu istius libri.

Ad illud autem quod ibidem addit Panegyrista me *hariolari, ne sic quidem si judicio legitimo contradictorio Jansenius pronuntietur nocens, protectoribus illius indicendum silentium:* Aio ego me nihil hariolatum esse, nec egisse de judicio quo Jansenius pronuntiaretur nocens, cum minimè repugnem assertioni illi qua Jansenius sive Jansenii persona insons asseritur.

Apparens autem ratio me de hariolatione primò, & postea de suspicione temeraria accusandi, hæc est, quod postquam rationibus invictis talibusque ad quas Apologista nihil reponendum habuit, probaveram, quod liber Jansenii summa diligentia sub Innocentio X. discussus fuerit, simulque tunc fuerit examinatum an quinque propositiones in isto libro continerentur, subjunxerim sequentia:" Deinde suppone libri „ examen iterari priusque judicium con„ firmari, putasne quod illi qui modò

„ dissentiunt, tunc assentient aut saltem „ silebunt? Mirum si non contendant „ iterum aliquam juris formulam exa- „ mini defuisse, aut saltem si non alle- „ gent Pontificem imo Ecclesiam in „ ejusmodi rebus falli posse.

Attamen hæc verba notabile quidem dubium, non verò hariolationem imo nec suspicionem important: aut si contendere pergas quod aliquam suspicionem importent, non sunt tamen sic intelligenda, uti neque sic intellexi, quasi significarent suspicionem de *omnibus* illis qui modò dissentiunt: inter quos arbitror reperiri plures qui non solum examini à se desiderato acquiescere intendant, verum etiam acquiescerent & ab horum numero neminem in particulari, nec ipsum Panegyristam anonymum tot Decretorum Apostolicorum, etiam iteratò confirmatorum oppugnatorem apertum excludere intendo.

§. 9.

De authoritate Santamorei.

CONfutatis Panegyristæ responsionibus ad articulos, superest examinandum quidnam circa authoritatem Santamorei responderit. Primò

Primò varia ex ipso Santamoreo tam in personæ suæ quam sui Diarii favorem loquente testimonia profert. Sed his jure merito parvi pensis, videndum est quid ultra reponat.

In præfatione historiæ expositum fuerat quomodo Panegyrista plerasque suas objectiones adversus Apostolica Decreta ex Santamorei Diario desumpsisset, & quod in ejusmodi narrationibus istius Sorbonici Doctoris authoritas parvi sit momenti, non modò quia Scriptor ille in suo Diario, à S. Sede prohibito, multa narrat ex incerto relatu vel auditu, verum etiam quia ejus testimonium causæ Jansenianæ favens vel quibusdam Sedis Apostolicæ proceribus aut PP. Jesuitis vel aliis similibus adversans, jure merito suspectum habetur, uti constabit ex historia (*ex qua nimirum evidenter apparet quanto partium studio laboraret*) tum ex sequentibus quæ in eadem historia prætermittuntur. Sic igitur habet præfatio.

Apologista verò primùm improbat illud quod dictum est, *multa narrat ex incerto relatu vel auditu*: & addit: *Quasi nos*, inquit, *argumentorum nostrorum vim mutuati simus ex levibus & incertis* Hoc

verum

verum esse de non paucis tam Panegyristæ quam Santamorei argumentis evincit *historia*, nec non responsiones ad objectiones, ac præsertim responsio ad secundam objectionem inter sex reliquas: & id ipsum de Santamoreo adhuc mox ostendetur, agendo de Garneto.

Apol. 2. pag. 21. secundam repudiationis causam hanc me producere dicit, *quod Santamorei testimonia causæ Jansenianæ faveant, & quibusdam Sedis Apostolicæ proceribus aut PP. Jesuitis vel aliis similibus adversentur.* Sed ab aperta mente mea prorsus aberrat Apologista: clarissimum enim est ex verbis supra positis, uti & ex ipsa præfatione me non hanc causam repudiationis assignasse, sed per causas & probationes adjunctas intendisse probare quod Santamorei testimonium ubi causæ Jansenianæ favet, & similiter ubi quibusdam Sedis Apostolicæ proceribus aut Jesuitis aut aliis similibus adversatur, jure merito suspectum habeatur.

Quartam (tertiæ non meminit) repullæ rationem me dare dicit, quod Santamoreus *obloquatur prohibitioni Romanæ Catechismi de gratia, & pariter Officii D. Virginis*, scilicet *Gallicè*. Addit: *ac si ne-*

mo rationes valde prægnantes cum summa observantia exhibere possit E. Cardinalibus pro defensione cujusdam libri &c.

Verum Santamoreus loco citato, postquam dictæ prohibitiones emanaverant, talia scribit quibus illas se parvi facere significat: & ideò non est valde mirum quod aliis quibusdam Decretis Apostolicis obloquatur.

Quintum suspectationis indicium refert Apologista me promere, quod Santamoreus narret *H. Garnetum extremo supplicio affectum fuisse ob conjurationem* (pulverariam) *de qua accusatus & convictus fuerit, & cujus reum se agnoverit jam moriturus.* Addit Apologista me cautè hoc resecuisse quod isti narrationi subjungit Santamoreus: *Quemadmodum si bene memini*, ait, *in terminis habet Author celebris qui historiam scripto prodidit.*

Sed quomodo verisimile est me *cautè* hæc verba resecuisse, cum illa adhuc amplius ostendant quam temerè, super incerta relatione cujusdam historici, Scriptor iste non modo narrationem instituerit Martyri Jesuitæ ignominiosam, verum insuper eadem relatione nixus ibidem accusarit ipsos Censores Romanos quorum permissu imago Garneti tanquam Martyris edita fuerat. Sex-

Sextum signum repudiationis me in-urbana in odiosum sensum detorsione adulterare contendit Apologista; sed videamus utrum hic minus temerè quam aliàs me tam graviter accuset.

Refert primò hæc verba mea, "præ-„fatus Santamoreus p. 6. c. 10. scribe-„re non veretur quod Summus Ponti-„fex in causa 5. propositionum omnem „planè formam & media maximè ne-„cessaria neglexerit, supponens divinam „inspirationem omnia suppleturam."

Postea è citato capite prolixius ex-tractum à se translatum exhibet: neque diffitetur in hoc prolixiori illud meum contineri: sed me graviter inculando af-firmat ad positionem illam, *quod Di-vina inspiratio suppleret omnia*, San-tamoreus ex suopte ingenio non con-finxerit, sed primum intellexerit ex Al-bizio (quod probat Apologista testimo-nio ipsius Santamorei) dein ipsummet Pontificem congruenter ad hæc respon-dentem habuerit (& hoc iterum probat Apologista Testimonio ejusdem Santa-morei.)

Possem hic iterum monere quod mihi suspecta sint hæc Santamorei testimonia: non quod ullatenus indicare velim ipsum

in his esse mentitum : sed quod ex nimia præoccupatione & nimio partium studio, mentem illorum qui quid simile dixisse videbantur, non sit omninò assecutus, dum audiret, aut dum scriberet.

Sed demus quod Santamoreus positionem illam, *Quod Divina inspiratio suppleret omnia*, ex Albizio & ex ipso Summo Pontifice intellexerit: An propterea non licuit nobis hæc dicere, *Santamoreus p. 6. c. 10. scribere non veretur, quod Summus Pontifex in causa quinque propositionum omnem plane formam & media maximè necessaria neglexerit, supponens Divinam inspirationem omnia suppleturam.* Quasi vero etiamsi positionem illam ex Pontifice & ex Albizio intellexisset, non debuisset equidem vereri scribere, *Quod Summus Pontifex in causa quinque propositionum omnem planè formam & media maximè necessaria neglexerit:* quandoquidem hujus assertionis falsitas invictis argumentis, & quidem partim ex ipso Santamoreo desumptis, demonstrari possit, & demonstrata sit in historia & in responsionibus ad tres primas objectiones ex sex reliquis.

Septimum ac postremum recusationis argumentum me invehere dicit Apo-

logista, quod *parum abfuerit quin in Inquisitionis carceres conjiceretur Santamoreus.*

Errat Apologista: tantum enim dixi: " Denique p. 2. c. 12. refert (San-
„tamoreus) se S. Officio fuisse dela-
„tum uti Jansenistam, & parum ab-
„fuisse quin ibi decerneretur, ipsum in
„carceres S. Inquisitionis esse conji-
„ciendum: seque similem incarcera-
„tionem adhuc postea non semel ti-
„muisse narrat ibidem c. 14. & p. 3.
„c. 2. & 3. tametsi jam plurium Epis-
„coporum foret legatus."

Porro ista non retuli ut persuaderem quod Santamoreus jure merito talem incarcerationem subiisset, aut quod illam jure merito timuerit quantum se pluries timuisse narrat: sed, velut ex contextu liquet, dumtaxat ista retuli ut ostenderem ex hoc etiam capite nonnihil suspectum reddi ejus testimonium, dum nempe aliquid refert adversans S. Officio, aut Cardinalibus & aliis ejusdem S. Officii ministris, à quibus se tam indigne haberi aut habitum esse sibi persuadebat.

Hæc itaque sunt per quæ abunde satisfit iis omnibus quæ pro Diarii Santamo-

tamoriani authoritate Apologista reposuit, præterquam quod, quia idem Darium à S. Sede vetitum esse monueram, addat sequentia, quibus quanti faciat Romanas librorum inhibitiones apertè declarat. "Quod autem (ait „pag. 23. Apol. 2.) hujusmodi histo-„riæ, quales Santamorei, hoc est, tam „aperta libertate & sine personarum „acceptione scriptæ, in librorum pro-„hibitorum catalogum inserantur, non „est quod quisquam miretur: imo pro-„digio simile esset si hanc sortem eva-„derent, posteaquam effusa illa li-„brorum sideratio, sæpe etiam levis-„simis de causis, à sesqui-sæculo in „Ecclesiam induci cœpit." Hæc ipse, qui ibidem fatetur eandem historiam in Galliis malè exceptam fuisse, licet hoc ipsum irritatis animis adscribat.

§. 10.

De Decretis Apostolicis indicentibus silentium in materia de Divinis auxiliis, id est, vetantibus in ista materia quidquam in lucem edi sine licentia S. Congregationis.

REfert Apologista, me in præfatione scripsisse: *Utinam illa Decreta ab*

unoquoque religiosè observarentur & observata fuissent. Deinde subjungit hæc verba: "Stupenda res, Theologiæ Li-„centiatum non animadvertere quod „silentium ejusmodi ferme tam serva-„tu impossibile sit quam silentium in-„dicendum de Deo trino & uno, aut „de Christo Jesu Salvatore mundi." Hæc ipse. Repono ego stupendum esse quod ille qui se filium Ecclesiæ Catholicæ profitetur, in Apostolica Decreta taliter insurgere audeat, & (allegatis quibusdam supplicibus libellis quos olim PP. Dominicani istius materiæ explicandæ ac definiendæ necessitatem exaggerantes obtulerunt) sic loqui quemadmodum ibidem loquitur Apologista: " Ex hisce solidis, ait, „ac perspicuis planè documentis abun-„de eruitur, quam fugerit eos ratio „qui Pontificibus authores fuere con-„dendarum istiusmodi impossibilium „servatu præceptionum."

Pergit nihilominus Apologista: & quia in eadem præfatione improbavi quod aliqui doctrinam de gratia per se efficaci & de prædestinatione ante prævisa merita, fidei esse contendant & ibidem dixi, quod Innocentius XII. in Brevi

vi ad Facultatem Theologicam dato 6. feb. 1694. doctrinam illam non obscure collocet in earum numero de quibus S. Cælestinus ad Episcopos Galliæ rescripsit: *Profundiores difficilioresque partes &c. non necesse habemus adstruere*; quia, inquam, ista dixi, exclamat Apologista, *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* Et deinde probare conatur dictam de gratia per se efficaci &c. doctrinam esse *capitalem Christianæ religionis articulum.* Sed his, uti & cæteris, S. Sedis judicio planè submissis, interea prædicto Brevis intellectui inhærentes, nihil amplius hic reponendum esse censuimus, præsertim cum, ipso Apologistâ fatente pag. 28. hæc ad præsentem disputationem parum attineant.

§. 11.

De iis quæ Canonico incumbere contendit Apologista, pag. 28. & 29.

RESpondendum, ait, Canonico incumbit, an juxta usitatum loquendi modum, verba Formularii non contineant assertionem Facti Janseniani."

RESPONSIO.

Negat Canonicus id sibi incumbere: quinimo supra ostendit se istud non posse præstare, propter silentium impositum in Brevi de 6. feb. 1694. & in Decreto de 28. Januarii ejusdem anni.

APOLOGISTA.

An alio principaliori fine Alexandri VII. Constitutio emanaverit, vel Formularium concinnatum sit, quam ad Factum illud asseverandum."

RESPONSIO.

Proculdubio illud quod Factum Jansenianum vocant, asseveravit & asseverare intendit Alexander VII. sed unà vel maximè intendit, Innocentii X. Constitutionem confirmando & innovando, quinque propositiones sic damnare in sensu Jansenii, ut easdem damnaret juxta suum tenorem, id est, interprete Innocentio XII. juxta sensum obvium quem ipsamet propositionum verba præ se ferunt; & consequenter non tantum juxta sensum Lutheranum & Calvinisticum à Sanctamoreo aut Panegyrista assignatum.

APOLOGISTA.

An Innocentius XII. Alexandri Constitutionem & Formularium in sensu obvio non confirmet, ac rata habeat, nuperrimis suis Brevibus?

RESPONSIO.

Ita est.

APOLOGISTA.

An Pontifices in talibus Factis asserendis vel firmandis sint falli nescii?

RESPONSIO.

Non potest ad hanc quæstionem categoricè responderi, nisi simul exponatur quale factum Pontifex jurari aut credi velit, aut non velit, hoc autem *ad præcavendas omnes dissidiorum causas* interdixit Innocentius XII. præterea quæstio hic proposita impertinens est, uti mox videbitur.

APOLOGISTA.

An liceat jurejurando affirmare quod falsum credas, vel de quo, an falsum sit, legitimis rationibus dubites?

RESPONSIO.

Negativè. Et nihilominus si S. Se-

des

des solemnem juramenti Formulam, præsertim Ecclesiarum consensu firmatam, à te exigat, renuere non potes hoc aut simili prætextu, quod à te exigatur illud jurari quod falsum credas, vel de quo an falsum sit, legitimis rationibus dubites.

APOLOGISTA.

An argumenta pro Jansenio adducta non evincant innocentiam ejus saltem esse probabilem, aut noxam ejus ad minus esse dubiam & incertam?

RESPONSIO.

Non repugno, quo minus hoc detur: siquidem ibi vox *Jansenio* accipitur pro persona, non autem pro libro; veluti probatur ex adjunctis dictionibus *innocentiam* & *noxam*. Si verò nihilominus contendas per *Jansenium* ibi intelligi librum, adeoque conformiter intelligi dictiones *innocentiam* & *noxam*, tunc repugno.

APOLOGISTA.

Si hoc non evincant, acceptet ergò Canonicus (quo omnia à nobis denuò producta collineant) provocationem oblatam &c.

RES-

RESPONSIO.

Clarè satis ostensum est supra, frivolam esse hujusmodi provocationem, ac proinde propter illam suspendi non debere Sedis Apostolicæ Decreta. Unde etiam illud quod me scripsisse exprobrat Apologista pag. 29 hic repetere non vereor, nempe, " Quod nullatenus verisimile sit Christum sic Ecclesiam
,, deserere ut fideles ejus innumeri per
,, solemne Sedis Apostolicæ Decretum
,, (Ecclesiæ Gallicanæ cujus maximè in-
,, tererat, consensu, aliarumque plurium
,, Ecclesiarum expresso consensu saltem
,, tacito firmatum) pejerare cogerentur."
Addo quoque velut aliàs addidi, Decretum istud Alexandri VII. per Innocentii XII. Breve, præhabito examine valde maturo, & quidem utraque parte informante, confirmatum fuisse: ac tandem eidem Decreto passim omnes illos acquievisse qui ante restiterant: ita ut nulla quantumcumque particularis Ecclesia, sed quidam particulares soli repugnent. Quapropter etiam confidenter hic repeto quod ii qui Formulæ Alexandrinæ subscribere jubentur, jure meritò obediant dicentes Deo, *Do-*

mine si hæc subscriptio perjurium vel aliud peccatum est, à Te pejerare vel aliter peccare jussi sumus.

Quod autem Apologista pag. 29. objicit Athanasianam persecutionem, & de illa vel alia simili Venerabilis Bedæ quoddam effatum, ad rem non pertinet, quandoquidem isti persecutioni palam ac perseveranter obstiterint quamplurimi non tantum Occidentis, sed & Orientis Episcopi cum suis Ecclesiis: subscriptioni autem Formularii, quam Apologista persecutionem Jansenianam appellat, quatuor Episcopi repugnarunt, sed tandem cesserunt, subscriptionemque suam (quam Apologista Apol. 2. pag. 15. nævum egregiæ illorum vitæ interspersum vocat) ad extremum usque vitæ spiritum tenuerunt Et quis Episcoporum vel quæ particularis Ecclesia modò resistit? Nunquid econtra resistendum non esse Arnaldus ipse postremis vitæ suæ annis apertè censuit, velut Apologista Apol. 1. pag. 6. & 11. diffiteri non audet: qui etiam non ignorat palam idem profiteri omnes illos quorum partes egit Doctor Hennebel in Urbe.

Igitur etiam ad propositum non spe-

ctat alia persecutio cujus meminit Apologista, & cujus Author erit Antichristus; quandoquidem Augustino teste, etiam adversus illam Ecclesia palam & invicte dimicatura sit, tametsi longè majori filiorum parte Matrem deserente.

§. 12.

Quidnam Panegyristæ incumbat; præsertim juxta nuperrimam Censuram Cleri Gallicani.

NUnc reliquum est ut sicuti Panegyrista proposuit, quidnam Canonico incumbere judicaret, ita & significetur quid ipsi incumbat; nimirum hoc unum, ut tandem Apostolicis desinat obtrectare Decretis, præsertim cum facilè agnoscere possit, doctrinam suam, & quidem partim ipsius Panegyreos Jansenianæ verbis expressam, sequenti Cleri Gallicani cesura esse confixam, imo seipsum, sine nominis expressione, cum quibusdam aliis esse sugillatum.

Extractum ex libello cui titulus, Censura & declaratio Conventus Generalis Cleri Gallicani congregati in Palatio Regio San-Germano, anno 1700.

" In præfatione libri nobis (*hoc anno*
,, 1700.)

„ 1700.) dedicati quædam occurrerunt „ quæ Constitutionum Apostolicarum „ de quinque famosis propositionibus „ infirmarent authoritatem : hæc & alia „ ejusmodi variis libellis sparsa & ad „ nos delata, coercenda decrevimus."

Deinde quibusdam interpositis, referuntur ibidem quatuor sequentes propositiones cum earum censura.

I.

*" Jam tandem Eeclesiæ & Regnorum Principes ex hoc clarissimo argumento agnoscant phantasma Jansenismi quæsitum ubique, sed nusquam repertum, præterquam in laboranti quorumdam phantasia.

I I.

„ Constitutione Innocentii X. nihil „ aliud actum quam ut renovarentur „ atque exacerbarentur disputationes.... „ In eandem viam pertractus est A„ lexander VII. ut homo ab omnibus „ facile impellendus in eas res quæ pa„ rum ejus officio convenirent.... Inno„ centius quoque XII. cum ex officio „ tene-

* Præfat. libri cui titulus: Augustiniana Ecclesiæ Rom. doctrina &c.

„ teneretur claram proferre sententiam,
„ generalibus æquivocisque verbis ad-
„ hibitis dat locum existimandi se non
„ ausum esse clarius loqui tanquam er-
„ rare metuentem.... Atque illud *in sen-*
„ *su obvio* ejusdem Pontificis, magis ad-
„ huc generale est & vagum quam ver-
„ ba Alexandri VII. *in sensu à Janse-*
„ *nio intento*.... Episcopi denique Gal-
„ licani libertates Ecclesiæ Gallicanæ
„ sub earum asserendarum specie labe-
„ factarunt, super recipienda Constitu-
„ tione Innocentii X. contra Janse-
„ nium.

III.

„ Aliquam huic malo medicinam at-
„ tulisse videbatur Innocentius XII. in
„ Brevi suo 6 Feb. 1694..... Verùm
„ mitigationem illam præsumptam non
„ parum extenuavit Brevi 24. Novemb.
„ 1696. ubi Pontifex disertè negat
„ Constitutionem aut Formularium A-
„ lexandri VII. Brevi suo alterata aut
„ reformata.... in aliqua minima ejus
„ parte.... Nec placet eorum opinio,
„ quæ ex ipso primo Brevi 6. Feb. 1694.
„ edito aliquid mitigationis circa fa-
„ ctum tentàvit exsculpere..... Sed &
„ ni-

„nihilo majorem in quæstione juris „progressum factum esse jam quoque „convenit ostendere.

I V.

„Circa condemnationem *Augustini* „Jansenii opus esset collatione regulari „habita vel coram Judicibus à Roma„no Pontifice, vel à Rege datis..... „Nondum omnes interierunt qui „sciunt deliberationes (de Janseniano „negotio) quas nunc Episcopi ut re„gulas suarum hodiernarum delibera„tionum (circa novum quietismum) „sumunt, Cleri Gallicani æternum „fore propudia.

CENSURA.

„Hæ quatuor propositiones quibus in„quieti homines Innocentii X. & Alex„andri VII. Constitutiones Innocentii „quoque XII. Brevia æquissima & ab „omnibus approbata apertè contem„nunt, & Episcopos Gallicanos rebus „judicatis adhærentes incessunt male„dictis, & causam hanc de integro re„tractari postulant, tanquam tot Con„stitutionibus Apostolicis, etiam acce„dente Ecclesiarum consensione, causa „non-

„ nondum finita fuerit, falſæ ſunt, te-
„ merariæ, ſcandaloſæ, contumelioſæ
„ in Clerum Gallicanum, Summos Pon-
„ fices, & in univerſam Eccleſiam, Schiſ-
„ maticæ & erroribus condemnatis fa-
„ ventes."

Et in fine ſic habetur.

„ Datum in Palatio Regio San-Ger-
„ mano in Comitiis Generalibus Cleri
„ Gallicani die 4. menſis Septembris
„ anno 1700."

FINIS.

Qui vos audit me audit. Qui vos ſpernit, me ſpernit. D. Jeſus diſcipulis ſuis.

Bien-heureux ſont les obeiſſans, car Dieu ne permettra pas qu'ils s'eſgarent. S. F. Saleſius.

Mihi conſtitutum eſt, eandem quam ab infantia ſecutus ſum, ſenſuum meorum ad extremum ſpiritum uſque ducem ſequi Romanam Eccleſiam & Beatiſſimi Petri in Romana Sede Succeſſorem. Super illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque cum ipſo non colligit, ſpargit: apud quem ſolum in-

cor-

corrupta Patrum servatur hæreditas. Quidquid ab ipsa Petri Cathedra, in cujus communione à teneris vixi, & porro vivere & mori fixum est, ab isto Principis Apostolorum Successore, ab isto Christi Domini nostri Vicario, ab isto Ecclesiæ Christianæ universæ Capite, Moderatore, Pontifice, præscriptum fuerit, hoc teneo: quidquid improbatum, improbo: damnatum, damno: anathematizatum, anathematizo. *Ita Jansenius in suo Augustino, lib. proæmiali c. 29.*

Quidquid de rebus tam multiplicibus & arduis non juxta meam, sed juxta S. Doctoris mentem pronuntiavi, ex Apostolicæ Sedis Ecclesiæque Romanæ Matris meæ judicio, sententiaque suspendo, ut illud jam nunc teneam si tenendum, revocem si revocandum, damnem & anathematizem, si damnandum & anathematizandum esse judicaverit. *Idem in Epilogo ejusdem operis. Quem etiam isti obedientiæ usque ad horam mortis inhæsisse probat testamentum illâ horâ ab ipso dictatum.*

